



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XXIII. In Tit. XXIII. De Officio Archidiaconi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

po loci, nisi exhibeat *formatas*, & *commendatitias* sui Ordinis *authenticas*; habetur etiam *c. 3. h. t. & c. Fraternitati*, 5. *de Cleric. non resid. ibi: Clericum alterius diocesis, absque commendatitij literis sui Episcopi, non debes recipere*; ubi gloss. V. *commendatitij*, ait: *litera commendatitia, sive dimissoria dicuntur*, quibus dimittitur, & absolvitur à potestate sui Episcopi, cum testimonio de vita & moribus: à fortiori autem ad majores Ordines promovendi non sunt, sine dimissorijs, & prædictis commendatitij, esto loco illarum juramentum afferant *c. 2. h. t.*

2275. Hinc nota, præter literas dimissorias, subditis suis ab ordinarijs locorum quandoque dari etiam *commendatitias*, & *formatas*: *commendatitia* sunt, ut liceat eis, etiam alibi, missas celebrare, vel alia divina officia, vel ministeria obire, nullo scilicet impedimento canonico prohibitis à tali munere; *formata*, quibus Episcopus testatur, tali Clerico hos, vel illos Ordines, legitimè collatos esse.

2276. Nota 2. teneri singulos, etiam Episcopos, ut irreverentia vitetur, in suis Diocesis interdiceret, ne cui vago, aut ignoto Sacerdoti missas celebrare liceat; Trid. *sess. 22. in decreto, de observand. in celebra. miss.* nisi prius visis, & examinatis literis, de quibus supra; quod etiam procedit de celebratione in Ecclesijs Regularium; sic Barb. *de offic. & potest. Episcopi. p. 2. alleg. 21. n. 8.*

2277. Nota 3. si Clericus peregrinus necessarijs literis careat, de illis justam tamen fidem faciat, admitti posse ad celebrandum; Barb. *cit. nu. 2.* si autem nec hoc possit, non permitti celebrare *in publico*; posse tamen *in occulto*, secluso scandalo, si revera Sacerdos sit, nullo canonico impedimento irretitus, *c. tuae fraternitatis*, 3. *h. t.* & Barb. *ibidem nu. 4.* Si autem *formatæ* deperditæ sint, probatio suscepti ordinis fieri debet per testes legitimos, *cap. cum olim, de privil. cum gloss. in c. 2. h. t.*

V. *per argumenta*; vel alia idonea documenta, *gloss. cit.*

Not. 4. Prælatum, Episcopo inferiori, sine Diocesis consensu, in sua Ecclesia instituere non posse Clericos peregrinos, *c. fin. h. t.* secus est de alijs notis, & probatis; hos enim sine examine instituere possunt ad simplicia beneficia, quorum liberam collationem habent, sic Layman in *c. fin. nu. 2.* in alijs autem, quæ *curata* sunt, vel *patronata*, ab Episcopo examinari debent, secundum Tridentinum *sess. 7. de reformatione c. 13. junct. Cardinal. declarat. & sess. 25. de reform. c. 9.*

Not. 5. quod Clericis, qui sunt in sacris, si peregrinari velint, vel discessuri sint, Episcopus negare non possit *commendatitias*, vel *testimoniales*, nisi beneficia habeant *in titulum*, ratione quorum ad residentiam obligantur; ne scilicet eorum defectu in exercitio suorum ordinum, citra suum demeritum, impediatur; ita Suarez *l. 3. de voto. c. 4. nu. 9.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 20. nu. 5.*

Dixi: *vel testimoniales*, nimirum si commendatione digni non sint; quod autem assertur in contrarium ex antiquo jure, *c. si quis verò, 7. q. 1. c. non oportet 35. dist. 5. de consecra. & c.* procedebat ex eo, quia olim propter paucitatem Clericorum, cum omnes intulati essent, major erat obligatio permanendi, & sine jussu Episcopi à sua Ecclesia non discedendi, sic Layman *in c. 1. h. t. n. 5.*

Not. 6. si Sacerdos peregrinus à celebratione missarum repellatur, quia vel non habet *formatas*; vel habet, sed suspectas (v. g. propter fractum sigillum) posse nihilominus secretò celebrare: cum suspensus, vel irregularis non sit; sic Innocentius *in c. 1. h. t. Navarr. consil. unico, eodem*; Barbosa *cit. nu. 3.*

* * *

QUÆSTIO XXIII. IN TIT. XXIII. DE OFFICIO ARCHIDIA- CONI.

Expeditis illis, quæ pertinent ad potestatem ordinis, procedimus nunc ad quasdam dignitates, personatus, & officia Ecclesiastica, quæ spectant ad potestatem jurisdictionis, & administrationis; & primò quidem de officio & potestate Archi-

Archidiaconi, qui primam, post Episcopum dignitatem, in Ecclesia Cathedrali, ex antiqua consuetudine obtinet, ut dicitur *c. ad hanc, 7. h. t.* Olim enim, in singulis urbibus, quibus præficiēbatur Episcopus, septem Diaconi constitui solebant, ex quibus, qui cæteris antiquior erat, appellatus fuit *Archidiaconus*, hoc est princeps, seu primus *Diaconorum*; Azor *p. 2. l. 3. c. 14. q. 1.*

Quæstio autem est 1. quodnam sit officium Archidiaconi? Resp. ejus officium, ex primæva institutione, olim, & in primitiva Ecclesia fuisse 1. curare, ut cæteri ritè suo officio fungerentur; sic Azor *cit.* Deinde, cum Episcopus sacris operatur, sanctum Evangelium legere, cum voverit; aut id alicui Diacono præcipere: *c. officium, de officio Archidiaconi*; vasa Ecclesiæ custodire *cap. 3. eod.* tertio, imperare Subdiaconis, & Levitis; Parochias sollicitè ordinare, *c. 7. h. t.* ponere Prælatos in Sede; *c. 9. de officio Archidiaconi*: postea verò, potestas Archidiaconi valde aucta est; 1. ut esset *Vicarius Episcopi in omnibus c. 1. h. t.* & *oculus Episcopi* diceretur, *c. ad hanc, h. t.* & *Trid. sess. 24. de reform. c. 12.* hodie autem, spectatis variarum Ecclesiarum consuetudinibus, prout hæ non ubique eadem sunt, ita nec Archidiaconi potestas ubique eadem est; sic Layman *in c. 1. h. t. num. 2.* Spectato autem jure communi, officium Archidiaconi ex sua institutione non extendit se ad jurisdictionem fori externi; colligitur ex *c. 5. h. t. ibi: secundum Ecclesiasticam institutionem.* Cæterum *Archidiaconatus* est dignitas principalis post Episcopatum, Barbofa *in c. 2. de offic. Archidiacon. n. 2. in fine*; habet curam in Clero tam in urbe, quam in Parochijs existente, *cit. c. 1.* si non potest Episcopus, tertio quoq; anno visitat Diocesim, & vice Episcopi emendat, quæ emendanda sunt; *cit. c. 1.* semel in anno, nisi necessitas aliud exigat, suas Ecclesias visitare debet, *c. Mandamus, 6. h. t.* ne tamen comitatu, & equitatu tunc Ecclesias oneret; Barbofa *de offic. & potest. Episcopi, p. 3. alleg. 73. nu. 39.* dum visitat Ecclesiam, jura, vel redditus sui Archidiaconatus, aut præbendæ, non amittit distributiones quotidianas, Barbofa *in c. unic. de Cleric. non resident. n. 21.*

Quæres 2. quando Archidiaconus mu-
Tom. I.

nus suum exerceat? Resp. quòd illud exerceat ipso jure, absque alio facto, absente Episcopo, ac ejus Officialibus; Barbofa *in cit. c. 1. nu. 3.* non autem Sede vacante, nec infra illos dies, quibus à Capitulo electio Vicarij faciēda est; *Trid. sess. 24. de reform. c. 16.* Archidiaconi audire possunt jurgia, & causas Presbyterorum, *c. 7. h. t.* mittere in corporalem possessionem institutos ab Episcopo; Barbofa *in cit. c. 7. nu. 6.* examinare promovendos ad Ordines, & beneficia, *c. 7. h. t.* simul cum Episcopo Decanos Rurales instituere, & destituere, *c. 7. h. t. tit.* si amborum vices communiter gerant. Fagnan: *in c. ad hanc h. t. in princip.* similiter alias causas civiles Clericorum minores, ubi solùm civiliter agitur, cognoscit Archidiaconus, tanquam Judex ordinarius, & prima instantia; sic Innocentius *in c. ad hanc, h. t. n. 4.* sed ab eo appellari potest ad Episcopum, vel ejus Vicarium, ut dicemus infra, *n. 2286.* Ejus jurisdictio est *ordinaria*, juxta praxim Episcoporum *p. 1. V. Archidiaconus*; sed Episcopali inferior; Barbofa *in c. 7. h. t. nu. 5.* non tamen extendit se ad ardua negotia, *c. 7. h. t. tit.* nequit dare literas dimissorias, *c. 8. h. t.* sine licentia Episcopi; de jure nulli confert curam animarum, *c. 4. h. t.* Azor *p. 2. l. 3. c. 14. q. 2.* & contraria consuetudo reprobatur, *c. 4. h. t.* de jure, sine licentia Episcopi, non potest excommunicare, *c. 5. eod.* intellige *de electo ab Episcopo*; non autem à Capitulo; Barbofa *in cit. c. 5. nu. 2.* potest audire causas *non suo*, sed *Episcopi nomine*, ex commissione, non sufficiente, solùm generali; & decisiones suas ad Episcopum referre debet; Barbofa *in c. 5. h. t. à n. 4.*

Quæstio est 3. an quilibet Clerici eligi possint in Archidiaconos? R. quòd non, nisi sint *Magistri*, seu *Doctores in Theologia*, vel *Licentiati in Jure Canonico*; sic *Trid. sess. 24. de Reform. c. 12.* saltem, ubi habent curam animarum, vel jurisdictionem; Barbofa *in cit. loco Trid. n. 5.* ubi verò id non habent, non sunt *Oculus Episcopi*; Anguian. *de Legibus. l. 2. contror. 4. n. 10.* sed hodie videmus sæpè contrarium; an bene?

Quæstio est 4. an, & qualiter Archidiaconus differat ab Officiali, seu Generali Vicario Episcopi? R. quòd sic, & quidem

dem ex eo 1. quia Archidiaconus est Vicarius natus, institutus, perpetuus, & datus à Jure; Vicarius autem Generalis Episcopi, est Vicarius factus, datus ab homine, non intitulatus, nec perpetuus; sic Hostiensis in Summa de Offic. Vicarij n. 2. in fine; secundò, quòd Jurisdictio Archidiaconi immediatè, & directè, veniat à lege, seu Jure; Officialis Jurisdictio immediatè & directè ab homine: Marant. de Ordin. Judic. p. 4. d. 5. n. 51. tertio quòd ab Archidiacono possit appellari ad Episcopum, vel ejus Vicarium, c. referente 7. de prebendis; non autem à Vicario, seu Officiali, c. 2. de Consuetud. in 6.

Ratio postremi hujus dicti est, quia Episcopus, & ipsius Officialis habent unum Tribunal, seu Consistorium; Archidiaconus autem habet tribunal suum proprium, sed juxta mensuram suæ Jurisdictionis, de qua dixi suprà; sic Hostiensis. loc. cit. cum autem Archidiaconus habeat suam potestatem propriam, & à potestate Episcopi distinctam, non potest Episcopus pro suo arbitratu per se ipsum exercere Officium Archidiaconi, nec illi se immiscere, aut illum remove; Innoc. in c. 1. h. t. num. 2.

2287. Præter hæc not. 1. Archidiaconatum, cui non est annexa Jurisdictio, non esse dignitatem strictè, sed personatum; hic enim est præminentia sine ulla Jurisdictione; ubi autem habet solam administrationem, dicitur Officium; quia tamen spectato jure communi habet aliquam Jurisdictionem, annexam suo muneri Vicariatus perpetuo, dici potest dignitas strictè, Pirhing h. t. n. 4.

2288. Not. 2. quòd Archidiaconus præcedat Præpositum; & Archipresbyterum; cum ejus dignitas sit prima post Pontificalem, ut dictum est n. 2282. intellige, extra celebrationem Missæ; Hostiensis in Summa h. t. n. 2. Nam in alijs Archipresbyter Jurisdictioni Archidiaconi est subjectus. Licet autem Archidiaconus dignitate sit major Archipresbyterò; Ordine tamen est minor; sic Fagnanus in c. ad hæc, h. t.

n. 5. Nam, licet Archidiaconus, & Archipresbyter sint Vicarij Episcopi à Jure constituti; Fagnanus in c. ad hæc de Offic. Archidiacon. n. 31. Archidiaconus tamen est Vicarius Episcopi quoad Jurisdictionem; Archipresbyter verò quoad Sacerdotalia, seu functiones, quæ in fungente requirunt, ex vitalis actûs Sacerdotium; Fagnanus in c. adhæc, de Offic. Archidiacon. à n. 9. & ideo Archidiaconatus, de Jure communi, solum habet annexum Diaconatum, vel obligationem eum suscipiendi, c. 1. de atat. & qualitat.

Not. 3. supposito, quòd primus Diaconus in aliqua Ecclesia habeat Jurisdictionem, nullam esse differentiam inter illum, ac eum, quem in jure appellamus Archidiaconum; Pyrrhus Corradus l. 9. dispens. Apost. c. 3. n. 16.

Not. 4. qui sunt nullius Diocesis, & habent Jurisdictionem Ordinariam privativè ad Episcopum, non venire nomine Archidiaconi; Fagnan. in c. accedentibus, de excessib. Prælat. n. 32.

Not. 5. dignitatem Vicarij Generalis, absolutè minorem censeri, quàm alias quasdam Ecclesiæ Cathedralis dignitates, qualis est Archidiaconi; intellige tamen extra materiam Jurisdictionis, & Tribunal; ut in processionibus, alijsque conventibus; nam quoad tribunal Vicarius est major, cum habeat idem, quod Episcopus, ut exponit Layman in c. 1. h. t. n. 5.

Not. 6. quando in n. 2284. diximus, quòd Archidiaconus non possit excommunicare, intelligi, spectata Ecclesiastica institutione, ut dicitur c. Archidiaconus. Unde cum in c. dudum 54. de elect. & c. 1. de eo qui furtivè, dicitur contrarium, sermo est de potestate, quam progressu temporis ex commissione accipit in quibusdam Ecclesiis, ut notavimus n. 2283. & ideo Archidiaconi potestas, & Officium hodie sumendum potius ex cujusque Ecclesiæ consuetudine, & statutis; quàm jure scripto, ut rectè observat Layman. in c. 1. h. t. n. 2. & notavimus suprà loco citato.

